Probationem discipulorum

in Gymnasio Ulmano publice instituendam

ac

diem natalem

GUILIELMI

Württembergiæ regis solenniter celebrandam

indicit

TH. FR. STRODTBECK,
Gymn. sup. Prof.

Exponuntur loci aliquot Taciti.



Ulmæ MDCCCL.
Prodiit ex officina Wagneriana.

1850

Tac. Agr. cap. 2.

„At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis venia opus fuit: quam non petissem, ni cursaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora.“

Plerique, quod sciam, Tacitum ab iis omnino omnibus, quorum in manus Vita Agricolae pervenerit, veniam sive clementiam judicii petere putant; causas autem petendae veniae alii alias animo scriptoris obversatas exhibent: vel quod „nunc demum, quum multo ante debuerit“, vel ne „ambitionis arrogantiaeque arguatur“, ut qui gener fuerit ejus viri, cujus vitam enarret, vel aliqua de causa. Curatissime de hoc loco Rothius disseruit. Qui veniam a legentibus petitam censet propterea, quod Agricolae infesta illa virtutibus tempora obstiterint, quo minus ad eam claritatem perveniret, quae multitudini ex rerum gestarum splendore judicanti satis digna ejusmodi encomio videri posset, quamque si campus ad prodendam virtutem apertus fuisset, i. e. si fecundiore virtutibus eoque ad recte aestimandas proniore aetate vixisset, haud dubie adeptus foret.

Perinde omnes, ac si dixerit Tacitus: mihi venia opus est, quam non peterem sive petiturus essem, ni et cetera. Quod dicit, „venia opus fuit, quam non petissem“, silentio praetermittunt.

Mihi ut paucis enuntiem, quid sentiam, venia edendi libelli indicari videtur et quidem petita ab eo, qui unus omnium illis temporibus par erat securitati praestandae, i. e. a Caesare. Veniam autem eam a Caesare petiit, non quod ea non impetrata ab ipso principe quidquam sibi metuendum putaret, contra quod recte disputat Drückius in Progr. a. 1799, sed ut eo praesidio defenderetur ab iis, quibus Domitianus instrumentis saevitiae usus fuerat; quorum qui id temporis superstites erant, si non periculum ei at negotium poterant facessere. Qui si audiebant, summum censorem ipsum probasse editionem libelli vel adeo legisse vitam, antequam ederetur, insectatione viri nimirum abstinebant. Verum id ipsum, quod

1 *

clarissimi viri vitam edituro ad Caesaris potentiam confugiendum erat, morum corruptelae etiamtum obtinentis et accusatorum saevitiae omnem modum egressae eum commonefecit, qua de causa recentiorem aetatem cum priore comparans id, de quo nobis sermo est, adjicit.

Itaque si animi sensa pluribus verbis exsequi ac plane enuntiare voluisset, sic fere locutum fore putandum est: Prior aetas ut virtutibus secunda, ita ad agnoscendas fuit prona, ad recte aestimandas idonea adeo, ut clarissimus quisque suam ipse vitam sine damno fidei ac famae describere potuerit. Nostra aetas longe diversa. Haec enim et virtutum egena est, et siquam aliquando progenuit, invisam habet, ita ut ne defuncti quidem vitam enarrare possis, quin invidiam ac pericula extimescas. Quid? quod mihi etiam, quanquam a principe quidem melior jam aetas occepit, tamen quia tardiora sunt remedia quam mala, antequam libellum hunc in publicum emitterem, venia a principe petenda fuit, qua in tuto collocarer ab obtrectatoribus; quam veniam ab hoc videlicet principe non petissem, ni cursaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora, quae describenti, ne multos offenderem, metuendum fuit.

Fortassis Tacitus vitam soceri prius legendam proposuit Caesari, et hortante illo, ut securus animi in publicum emitteret, tum demum vel omnem praefationem cap. 1—3, vel saltem haec, de quibus nobis sermo est, verba adjecit.

Si verum vidi, haec, quae attuli, suffecerint ad comprobandam sententiam. Veritas enim paucis absolvitur. Proxime mihi ad veri cognitionem accessisse Walchius videtur, cui idem genus hominum ante oculos versatur, quod mihi; sed in eo erravit, quod Tacitum ab iis veniam petiisse — aequissimi credo judicii hominibus — censet, quum propter eos a Caesare petierit.

Quod principem scriptor ne verbo quidem commemorat, quum tamen eum cogitet, nil mirum. Est enim in usu hominibus, de summi fastigii viris per verecundiam quandam non nominatim loqui, ac Taciteum id inprimis: ad quod comprobandum possim multos locos afferre, sed in uno subsisto, Annal. 3, 15: Eadem Plancinae invidia, major gratia: videlicet apud Tiberium et Augustam.

Agric. cap. 12.

„*Dierum spatia . . . . et sidera nox cadit.*“

Defendendus hoc loco Tacitus ab iniquitate quadam interpretum. Video enim et Lipsium secus judicare ac res fert, ut qui quatenus ad veri cognitionem in his rebus accesserit scriptor, minus circumspecte aestimet atque obscuriorem quandam notionem animo ejus obversatam, de qua infra disseremus, in errorem apertum exaggeret; et iniquior etiam illo Savilius, qui „mirum videri ait, quomodo

nox esse potuerit conspicuo adhuc (etiam) sole: sed indulgendum aliquid esse viro artis suae fines egresso."

Mirum sane, quomodo a scriptoris tam perspicuo sensu tantum ille aberrare atque adeo ineptae hunc talem virum opinionis damnare potuerit; magis etiam mirum, quod nemodum, quantum mihi cognitum est, Tacitum defendit. Nam re silentio praetermissa ceteri quodammodo in partem culpae veniunt.

Agedum singulatim recenseamus, quae de rebus coelestibus hoc loco referuntur.

„*Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram.*"

Ad haec propter ea, quae sequuntur, verbo monendum est, scriptoris animo dierum aestivorum ac perinde noctium hibernarum spatia obversari. Nam anni temporum eas esse vicissitudines, ut in quacunque regione quantum aestate diei, tantundem post sex menses noctis sit spatium, et dierum ac noctium differentias eo majores esse, quo sit septentrionibus propior regio, jam illis temporibus constat satit cognitum fuisse. Protenditur autem mediae Italiae longissima dies — sensu astronomico dicta in 15, extremae Britanniae in plus 18 horas.

„*Nox clara et extrema Britanniae parte brevis.*".

Clara nox — aestivo videlicet tempore — hoc enim e proximo scriptoris menti obversatur — non propter collucentia sidera, de quibus omnino non sermo est, sed propter crepusculi diuturnitatem, quod in illis regionibus prope per tres continuos menses totam noctem durat, ut antequam vespertinum crepusculum omne abierit, jam id quod vulgo diluculum vocatur, occipiat. Etenim quicunque terrarum locus ita est situs, ut sol appropinquans ad ejusdem hemisphaerii tropicum media nocte minus duodeviginti gradus subter circulum finitorem mergatur, inde ab eo tempore, quo solis declinatio tantum accreverit, perpetuum crepusculum habet, ut vel media nocte arcus minus plus lucidus minoris majorisve ambitus circa punctum boreale finitoris conspiciatur. Parallelarum orbitarum ea, quae 48,5 gradus latitudinis geographicae habet, prima omnium neque vero plus unam in ipso fastigio aestatis noctem habet, quae non omnem lucem amittat; insequentes orbitae, i. e. quarum major est latitudo, quo propiores sunt polo, eo plures per aestatem noctes habent, quae aliquantulum lucis retineant. Et incipit ea perpetuitas crepusculi omnibus locis, quorum latitudo illos 48,5 gradus excedit, eo die anni, quo solis declinatio ante longissimam diem accrevit in 72° subtracto eo graduum numero, quo latitudo loci exprimitur. Pariter desinit continuum per noctem crepusculum, quando sol ad eundem gradum declinationis post longissimam diem regressus est. Itaque ut exemplo utamur ad hunc locum accommodato, loca quae latitudinem habent 57 graduum, veluti media Caledonia, perpetuo crepusculo fruuntur a primo die Junii usque ad 12. Aug.

Haec, quae modo diximus, faciunt ad recte interpretanda ea, quae sequuntur:

„ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas."

Lux, quam dicit, neque astronomica dies est, quam in extrema Britanniae parte ad 18 horas extendi commemoravimus, quae dies detracto, quod ex refractis radiis adjicitur, id temporis spatium complectitur, quod solis ipsius ortu et occasu terminatur; neque cum illo temporis spatio confundenda, quod ex astronomica die et insuper addita luce secundaria, i. e. crepusculo vespertino et matutino constat. Haec enim lux in extrema Britanniae parte, id quod modo diximus, propemodum per tres menses aestivos neque desinit neque incipit, quum discrimine omnino nullo crepusculum vespertinum in diluculum transeat; potius lucem dicit eo sensu, quo nos diem civilem, quae incipit ab ineunte diluculo civili et desinit cum crepusculo civili, sive incipit ab eo tempore, quod primum copiam facit scripta sub divo vel prope fenestram conclavis satis apertum prospectum praebentis legendi et manet usque eo vespertini temporis, ubi satis dispicere legenda jam nequeas. Scripta autem sub divo legere possis, siquidem vulgari oculorum acie utaris, dumne sol plus 6,5 gradus sub finitorem descenderit. Et in ipsa quidem Britannia, adeo in ultima ejus parte, sol plus 6,5 gradus in fastigio aestatis subter circulum finitorem descendit, sed breve tempus in ea altitudine commoratur, quapropter plane id evenit, quod a Tacito traditum est, ut finem atque initium ejus lucis exiguo discrimine internoscas. At vero in insulis Faer-Oëricis, *) quae latitudinem geographicam

*) Ex iis, quae c. 24 leguntur: „Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat ac specie amicitiae in occasionem retinebat. Saepe ex eo audivi, legione una — et cet., alii jam monuerunt haud dubie colligendum esse, Tacitum ipsum Britanniam adisse. Mihi quidem ille primum quum quaestor factus esset, posthac privatus, quum Agricola sextum officii annum inchoasset, iterum aliquamdiu in Britannia versatus esse videtur. Nam quae cap. 25. leguntur: „portus classe exploravit, quae ab Agricola primum assumpta in partem virium sequebatur, — egregia specie, quum simul terra, simul mari bellum impellitur (sic in cod.), ac saepe iisdem castris pedes equesque et nauticus miles, mixti copiis et laetitia, sua quisque facta, suos casus attollerent et cet." ita prorsus praesentem atque evidentem ante oculos legentis rem proponunt, uti narrare solent ii, qui rei gestae interfuerunt: non quin vividiore ejusmodi oratione is quoque uti possit, qui non interfuerit; sed in mentem credendum est scriptori non venturum fuisse, ut eum adspectum describeret, nisi ipse vidisset. Quodsi Tacitus id temporis cum Agricola fuit, cum ille civitates trans Bodotriam sitas consiliis armisque amplexus jam ad montem Grampium pervenit ac terminus Britanniae (c. 30.) patebat: facile fieri tum quidem potuit, ut admirans dierum aestivorum spatia ex hominibus Orcadum vel ulteriorum insularum notitiam habentibus sciscitaretur, quaenam earum rerum species in regionibus septentrioni propioribus

habent fere 62°, summa aestate sol intra illos $6\frac{1}{2}$ gradus se continet, ut circa solstitium aestivum aliquamdiu crepusculum civile per totam noctem pertineat. Jam tantum pro certo est, adhuc omnia, quae de rebus physicis relata commemoravimus, cum veritate congruere; ac referuntur haec quidem a Tacito ut comperta; at vero, quae sequuntur, ut ab aliis accepta nullo suo de veritate judicio profert.

„*Quodsi nubes nun officiant, adspici per noctem solis fulgorem.*“

Revocandum hoc loco ante omnia in memoriam, quod supra monuimus tantummodo de fastigio aestatis sermonem esse. Solis autem fulgor quem dicit, quemadmodum vox ipsa docet, non omnem illam lucem significat, quam supra secundariam diximus, sed hanc clariorem, de qua proxime sermo fuit, qua coeli certa aliqua pars, dumne nubibus offusum sit, post occasum solis tam diu refulget, quam diu sol subter finitorem degressus tamen intra illos $6\frac{1}{2}$ gradus commoratur; ex quo crepusculum illud civile. Hunc igitur fulgorem ab occasu solis ad ortum usque pertinentem insulae Faer-Oëricae in fastigio aestatis per complures dies habent, atque ab his insulis errore famae ad extremam Caledoniae partem translatum esse credibile est, nisi forte scriptorem, quum de extrema Britanniae parte loquatur, vicinas etiam insulas cogitatione amplexum esse putandum est. Verum utut ea res sese habet, quum ea cautione utatur, ut ab aliis id quod refert, affirmari dicat, ipse de veritate nihil adjiciat, memor videlicet eorum, quae supra (cap. 10.) pronuntiavit, sese quae priores nondum comperta eloquentia percoluerint, rerum fide

---

esset. Qui si minus accurate locorum situs distinguebant, nil mirum influxisse in narrationem scriptoris nulla ipsius culpa errorem eum, de quo nobis sermo erit.

Non praetermittenda hoc loco occasio videtur, ad decernendam quaestionem criticam aliquantulum conferendi. In loco supra allato (cap. 25.) M. S. Vat. 3429 sic habet: quum simul terra, simul mari bellum impellitur. Id Rhenanus eoque praeeunte plerique editores mutaverunt in tempus imperfectum „impelleretur.“ Contra quam mutationem quae Waltherus ad tuendum praesens tempus protulit, mihi quidem summatim judicanti recte monita videntur; sed unum adjiciendum puto: influxisse scriptori in narrationem suam praesentis temporis hoc verbum propterea, quod egregia illa species, quam praesentem oculis viderit, animo vivide reminiscenti inter scribendum prorsus, ut ita dicam, repraesentata sit. Possis germanico sermone sic fere assequi scriptorem: Er ließ die Häfen durch die Flotte auskundschaften. Diese jetzt zum erstenmale von Agricola zur Verstärkung mitgenommen, folgte dem Landheer, — ein herrlicher Anblick, — wenn so der Krieg zu Lande zugleich und zur See einherwogt, und oft in Einem Lager der Fußgänger, der Reutersmann und der Schiffssoldat in buntem fröhlichem Untereinander jeder seine Thaten, seine Abentener erhob und bald die Tiefen von Wald und Gebirg, bald der Kampf mit Sturm und Meereswogen, hier Land und Feind, dort in vergrößernder Schilderung der Ocean mit soldatischer Großsprecherei verglichen wurde.

traditurum, ipsi certe scriptori nihil culpae imputandum est. Prorsus autem rejicienda sunt illa Savilii: mirum videri, quomodo nox esse potuerit conspicuo etiam sole; neque enim solem ipsum per noctem conspici dicit, sed solis fulgorem; ac noctem id temporis spatium vocat, per quod sol ipse sub finitore versatur.

„*Nec occidere et exsurgere, sed transire (affirmant)*“

Distinguendus in hisce verbis sensus strictior a latiore. Strictiore sensu negat Tacitus occidere et exsurgere solem, latiore non negat; i. e. quod in aliis ac remotioribus a septentrione regionibus occasus et ortus solis dicitur, id in extrema Britanniae parte, ut circa solstitium aestivum se res habet, rectius ei dicendum videtur „transitus solis ab altero latere finitoris in alterum“. (Die Sonne gehe nicht eigentlich unter und auf, sondern nur hart unter dem Horizonte vorüber von einer Seite auf die andere, von der westlichen auf die östliche.) In quo recte judicat. Nam occidere et exsurgere vulgo ea dicuntur, quorum motus comparatus cum linea globum terrae ibidem contingente a recto angulo haud ita multum recedit; at vero in iis locis, de quibus nobis sermo est, sol sub finitorem descendens ac rursum exsurgens admodum obliquum angulum efficit et paucorum graduum arcum paucosque gradus subter finitorem depressus cursum nocturnum absolvit, ita ut si oculos in septentrionalem regionem coeli conversos teneas, nocturnum hoc iter omne persequi possis et ex foco fulgoris divinare, quem sol quoque tempore subter finitore locum teneat. Quodsi usque ad $66^1/_2$ graduum latitudinem processeris, jam in ipso solstitio aestivo unum te diem habere, quo sol non occidens finitorem tantummodo attingat, vulgatum est. Quum ita se res habeat, quid mirum, quod solem non tam occidere et exsurgere quam (brevi cursu et quasi semper conspicuum) ab altero in alterum latus transire dicit?

„*Scilicet extrema ac plana terrarum,*
humili umbra, non erigunt tenebras,
infraque coelum et sidera nox cadit.“

Locutus de dierum spatiis, de noctis claritate, de crepusculo in diluculum edurante postremo, unde rerum ab Italico orbe adeo discrepantium repetenda sit causa, adjicit. Et quidem menti ejus id obversari videmus, in quo revera causa posita est; at vero ut illa aetate minus perspectum. Vidit scriptor, ut vox: „extrema terrarum“ indicat, a majore latitudine geographica pendere illa ab orbe Romano abhorrentia; vidit, id quod voce „plana terrarum“ quamvis obscure significat, regiones septentrioni propiores ea ipsa de causa, quia septentrioni propiores essent, per solstitium aestivum nocturnum cursum solis propiorem habere, de quo infra pluribus disseremus; vidit noctis tenebras mitigari eo, quod ad superiores quasdem coeli regiones non erigeretur umbra, sive quod superiores quaedam regiones

lucem a sole acciperent, dum infra sitae umbra involvuntur. Haec omnia vidit, si eo vocabulo uti licet. Unum ei defuit, nec illi solum, sed omnino illis temporibus, quo ad perspiciendam rem utique opus est. Nam etiamsi divinavit esse aliquid, quod umbra terrae non involutum lucis aliquantulum super terram effunderet, tamen ab aëre terram circumdante eam lucem reflecti in terram, non distincte expressum in mente habuit. Intelligitur Lipsium quamvis alioquin circumspecte agentem hoc loco inique quodammodo egisse. Interpretatur enim ea, de quibus nobis sermo est, hunc in modum: „pro Taciti sensu nox ibi humilis, quia ab umbris est"; hoc ille ex sensu scriptoris et ex veritate. At vero quae sequuntur, neque ab ipso luculenter cogitata esse videntur, neque prioribus illis respondent et inique erga Tacitum dicta sunt: „umbrae autem non illic eriguntur." Quasnam in regiones non eriguntur? Videtur Lipsius terrae regiones intelligere illas extremae Britanniae, contra quod scriptoris animo coeli sive aëris terram circumdantis regiones obversantur, ex quo illi confusio et conturbatio notionum existit. Tum sic pergit: „ergo longi dies et serenae noctes ac sidera lucem suam spargunt sine obstaculo. Nos alias causas scimus et a solis cursu." Perinde ac si Tacitus sideribus eam noctis claritatem deberi putarit, quum tamen expresse in humili umbrae projectu causam positam dicat. Sane si superiores quaedam regiones idcirco lucem habent, quia umbra terrae a sole collustratae ad eas non erigitur, sive quia ita sitae sunt, ut ipsius terrae interpositus solis radiis eas privare non possit, nihil aliud nisi sol illius lucis fons et origo est.

De quo siquis etiamnunc dubitarit, tollet profecto omnem dubitationem, quod legimus Germ. c. 45, quo in loco de septentrionalis Germaniae populis haec scriptoris nostri verba: „extremus cadentis jam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet. En fulgor non aliunde emanans nisi ex sole, adeo qui expresse opponatur sequiori siderum luci et eam hebetet.

Manifestum est, prorsus in eum quem supra proposuimus modum accipienda esse scriptoris verba.

Una vox: „plana terrarum" difficultatem habet, ut fere omnia, quibus obscurior aliqua et confusior notio subest. Dispicere tamen, quid subsit, quod assequi cogitatione velit, haud dubie possis, si tenorem orationis comparaveris. Planitiem quidem, quae vulgo dicitur, scriptorem sibi non proposuisse facile est intellectu; neque enim extrema Britannia eo sensu vocis plana est, neque si esset, ad solis cursum quaeque inde consequuntur, ullius id momenti foret, et manifestum insuper est, scriptorem non de fortuita aliquapiam facie illius terrae loqui, sed de ejusmodi conditione, quae ex majore latitudine geographica necessario consequatur. Jam quum plana vulgo dicantur, quorum ea positio est, ut supra certam aliquam lineam sive amussim, ex qua omnia metienda sint, vel omnino non vel non multum extollantur, planae a scriptore et illae et omnes majoris latitudinis regiones vix alia de causa vocari potuerunt, quam quia aestivo quidem tempore non multum supra

nocturnum iter solis extolluntur, sive quasi sidunt ad illud. Hoc ut exprimeret, aliquatenus recte intendit cogitatione; verum in eo aberravit a recto, quod ex specie rerum ad tempus obtinente ac variabili epitheton suum sumsit. Hieme enim arcus nocturnus solis tantundem in altum demittitur subter finitorem, quantum aestate diurnus supra eum extollitur. *) Nisi vero nos quoque, dum in hunc leviorem errorem incidisse eum concedimus, injuste agimus ac planos ille hos terrarum tractus prorsus omisso solis cursu ea tantummodo de causa dixit, quod circulus finitor illarum regionum cum orbitis diurnis omnium omnino siderum perquam obliquum angulum efficit. Ad hoc mihi omnia perpendenti maxime inclinat animus. Videtur mihi scriptor eo tetendisse et conceptione notionis et optione vocabuli, de quo nobis sermo est, ut loca legentibus ante oculos poneret obliquae quae dicitur sphaerae, sed propinqua jam parallelae, quae finitorem habet erga orbitas diurnas siderum parallelum, cum sideribus aequatoris adeo in unum coëuntem.

Itaque, ut ea, quae disserui, paucis in unum colligam: si ex rectiore et accuratiore hac rerum coelestium cognitione, quae nostrae aetati contigit, paullulum ille subsidii habuisset ac contra suum morem verbosius, quae animo ejus obversabantur, efferre voluisset, sic fere locutum fore probabile est: Dierum aestivorum spatia ultra nostri orbis mensuram; inde summa aestate nox clara et extrema Britanniae parte brevis adeo, ut finem atque initium lucis vulgari sensu dictae per illos dies exiguo discrimine internoscas. Quid? quod eo usque septentriones versus protendi Britanniam affirmant, ut in ultima Britanniae ora — circa solstitium videlicet aestivum — sol rectius dicatur ab altero in alterum latus ante oculos contuentis transire quam occidere et exsurgere, utpote cujus nocturnum etiam cursum, si nubes non officiant, oculis quodammodo persequi possis; scilicet extrema illa terrarum et polo propiora aestate humilem umbram habent nec erigunt tenebras, quapropter aëris terram circumdantis superiores regiones media etiam nocte a sole illustratae lucis aliquantulum in terram reflectunt.

---

*) Totam rem adjecta delineatione mathematica demonstrarem ac plane ante oculos ponerem, ni majoris a typographo impendii foret.

Agric. c. 19.

„*Namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta ac vendere pretio cogebantur. Devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates a proximis hibernis in remota et avia deferrent, donec quod omnibus in promtu erat, paucis lucrosum fieret.*“

Recensendis aliorum interpretationibus supersedendum puto et unius Rothii ratione habita, quid mihi videatur, exponendum. Quae ille de adverbio „ultro“ affert, assensum haud dubie omnium habeant. Verum quod inde vult colligendum esse, non Romanorum horrea, sed provincialium sua cujusque intelligenda esse, id quatenus locum habere possit, curatius inquirendum videtur. De qua re quid sit statuendum, proxime ab alia quadam, quam Rothius non attigit, quaestione pendet, utrum unum idemque vexationis genus omnia, quae sequuntur, contineant, an diversas vexandorum provincialium vias. Illius quidem sententiae si adstipuleris, duo diversa tum quidem vexandorum hominum artificia describuntur, quorum alterum in eo positum, ut Britannis domi suae cuique horrea saltem ad tempus clauderentur: i. e. vetabantur frumentum ex agris congestum pro arbitrio in suam rem conferre, potius Romanis venumdare constituto ab iis pretio ac rursum ab iis emere, quod opus esset, cogebantur; alterum autem, quod curate distinguendum foret, in eo positum, quod frumentum imperatum collaturis devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur etc. Ad hanc Rothii sententiam ne accedere possimus, varia et quae satis magni momenti sint, obstare videntur. Omitto, quod vox „assidere“ quid sibi velit, si de horreis provincialium sermo est, non satis liquet. De Romanorum quidem horreis dictum hoc „assidere“ significat aliquid, quod, ut infra exponetur, memoratu dignum sit; ad provincialium si pertinet, supervacaneum videtur. Certe magis Taciteum foret, si missa ea voce dixisset Tacitus: namque per ludibrium clausis horreis emere ultro — — cogebantur. Multo autem majus, quod ea ipsa quae narrantur, si de provincialium horreis accipienda sunt, vexationis exemplum indicant ejusmodi, quod omnem fidem excedere judicandum foret. Etenim si provincialibus sua cuique horrea claudebantur, non per ludibrium id factum dicas, sed immanis saevitiae foret atque haud scio an ab omni rerum gestarum memoria inauditae. Nam Verrinum illud, quod Lipsius profert, comparari cum hujuscemodi crudelitate plane non potest. Aliud est enim vetare provinciales prius, quam negotium suum cum decumano transegerint, frumentum ab area auferre, ne illum possint fraudare, aliud horrea claudere et eo adigere homines, ut quod ex agris suis cuique provenerit, constituto ab imperantibus pretio vendant, ac rursum quod

ipsis opus sit, frumenti eo, quo venditor velit, pretio emant. Quae vero de Europaeorum in America coloniis proferuntur, haec in nostrum locum idcirco non conveniunt, quia sal, ferrum, genus omne metallorum, quod ubique sub terra invenitur, non singulorum esse, qui forte fundum possideant, sed in regalibus habendum sive aerario publico vindicandum inde ab omni tempore lege sancitum fuit. Quodsi quis ad tempus tantummodo eam vexationem adhibitam esse objicere velit, monendum contra, quod adversus alios ipse Rothius monuit, scriptori hoc expresse enuntiandum fuisse. Superest unum, quod mihi quidem plane dijudicandae quaestionis esse videtur. Si quod adjicitur, devortia itinerum indicta esse, ut civitates a proximis hibernis in remota et avia deferrent, novum genus vexationis continet, oportuit scriptorem hoc ut novum vexationis genus certe aliqua particula orationis adnexum proferre. Quod quum plane omiserit, adeoque insequentia ita prorsus adjungat, ut nihil aliud quam exponere velle videatur, quo modo illud „emere ultro frumenta ac vendere pretio" machinati sint, concludendum necessario, unum idemque vexationis genus describi. Ex quo quae sit recte interpretandi loci ratio ineunda, patescit.

Quaerebant exigendo curandoque frumento praepositi ex eo negotio suum lucrum. Igitur eo homines compellendi erant, ut taederet eos ipsius frumenti conferendi ac mallent pretium illis persolvere. Id ut efficeretur, non proxima cuique civitati hiberna sed longe distantia et devia indicebantur, in quae deferrent. Jam vero si nihilominus essent, qui longinquitate et devortio itineris non deterriti ipsum frumentum perveherent, tum quidem his damnum illatum erat, illis nihil lucri partum. Quod ne accideret, novo artificio subveniebatur. Per comptures dies, si qui advenerant frumentum advectantes, horrea illi homines clausa tenebant, hoc illud excusantes, ut multos provinciales cum frumento assidentes et operientes videres, donec aperirentur tandem aliquando horrea et acciperetur, quod detulerant. Id semel bis experti abjecta spe reluctandi jam concedere eo, quo illi vellent, et ne in gravius damnum inciderent, emere ab iis ipsis, qui frumentum imperatum curabant, i. e. pretium ab iis constitutum persolvere. Illud igitur „assidere horreis clausis", quo duplum triplum damni vexatis praeterea per devortia itinerum provincialibus inferebatur, ut simplum lucri extorqueretur, et quod desinebat in emtionem eorum, quae ipsi haberent, scriptor ante oculos ponit tanquam exaggerationem vexationis in quaestum repertam et ipso tributo graviorem.

Quod adjicit: vendere pretio cogebantur, id quo sensu dictum sit, jam facile intelligitur. Emerant in hibernis pretio a Romanis constituto, domi vendebant sua eo pretio, quo poterant, i. e. prout ferebant felicitas anni, frequentia venditorum, reliquae rationes mercatus (sie verkauften um den jeweiligen Marktpreis, der natürlich niedriger war). Eam esse vim vocis pretio vendere, ipsa res poscit, nec consecuti quidem id quod volebant illi quaestuosi essent, nisi hoc accessisset. Nam frumentum semel imperatum vel militis in provincia agentis vel classis vel ipsius

Urbis in usus; congerendum hoc illo modo erat, ac remanere sibi de negotio aliquantum lucri volebant: quod tum fiebat, si posteaquam saevis vexationibus magnum pretium extorserant, ipsi in tempore et commodis locis emebant.

Annal. I. cap. 42.

„*Nos ut nondum eosdem — — gratiam refertis!*"

Non in animo est, remedia enumerare, quae ad enodandas difficultates loci interpretes adhibuerunt, quorum plurima ejusmodi sunt, ut difficultates potius reliquisse quam superasse videantur, ac statim in mediam rem progredior.

Etiamsi codex post verba „ita ex illis ortos" lacunam haberet, tamen vix credo quemquam futurum, cui non ex Taciti sensu, dummodo orationem Germanici inde ab initio ad eum usque locum, quo a Jul. Caesare et Augusto ad semet ipsum deflectit, uno tenore et attento animo perlegisset, summam certe insequentis sententiae recte divinare ac supplere contingeret. Manifestum sine dubio cuique foret, sic fere in animo fuisse oratori: divus Julius seditionem exercitus verbo compescuit: divus Augustus voltu et aspectu Actiacas legiones exterruit: Nos a milite hunc in modum tractari? nostrum imperium sic contemni? num id est ferendum? nonne indignius, quam quod verbis exprimere possis? Nihil aliud continent quae legimus, haud dubie hunc in modum scribenda:

> „divus Julius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando qui sacramentum ejus detrectabant. divus Augustus vultu et aspectu Actiacas legiones exterruit. nos, ut nondum eosdem, ita ex illis ortos — si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat — primane et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot praeliorum socia, tot praemiis aucta — — —? Egregiam duci vestro gratiam refertis!

Structura sententiae non omnibus partibus enuntiatae et confectae haec est: nos ex illis ortos primane et vicesima legiones hunc in modum tractetis? At enim vehementer commoti animi oratio. Urget, praevertit, interrumpit sententia altera alteram. Eo verborum nexus grammaticus non neglectus quidem aut violatus at obscuratus. postremo oppressa et interclusa vox vi indignationis ac mutila per aposiopesin sententia. Videamus singulatim. Posteaquam a Julii Caesaris et Augusti exemplis ad se deflexit, dum suam personam comparare instituit cum hisce summi fastigii imperatoribus, primum per modestiam interserit: „ut nondum eosdem, ita ex illis ortos"; deinde quum legiones, quae alloquendae ei sunt, jam quasi in ore habeat, indignanti, quod illae maxime, quae fidissimae omnium esse debebant, tam foeda seditione et sese et ipsum polluerint, per parenthesin praevertit illud: „si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat",

quo fit, ut ex opposito insequentia verba: „primane et vicesima legiones“ emphatice insignita appareant. Postremo quum legionibus appellatis ponderose enumeraverit, quot et quanta beneficia in eas collata sint, quibus a seditionis contagione avocari debuerint et jam exprimendum ei sit, quam foeda flagitia admiserint, deest commoto animi vox et desinit objurgatio in aposiopesin facundam. Quae sequuntur verba: „egregiam duci vestro gratiam refertis!“ ironice dicta esse, nemo non videt. Quodsi quis germanice conversa haec verba velit, sic fere exprimendam mentem scriptoris putem:

Der zu den Göttern gegangene Julius hat mit Einem Worte ein empörtes Heer bezähmt, indem er Quiriten nannte, die ihm den Eid verweigerten. Der göttliche August hat mit Miene und Blick die Legionen von Actium beben gemacht! Und mich — zwar bin ich noch nicht, was Jene, nenne mich aber doch einen Sprossen ihres Stammes — mich sollen — es wäre schon verwunderlich und empörend gewesen, wenn ein hispanisches oder syrisches Heer mich so schnöde behandelt hätte — mich sollen diese Legionen — du Erste dort mit den Feldzeichen aus der Hand des Tiberius, du Zwanzigste hier, die du mit ihm in so viele Schlachten gegangen, so hoch von ihm geehrt und belohnt worden bist — — — ? Das ist ein schöner Dank, den ihr eurem Führer darbringt!

Annal. 2, 6.

„*angusta puppi proraque*“

Boetticherus interpretatur: „mit engem Hinter- und Vordertheil.“ Eodem modo Gutmannus. Nemodum, quod ego sciam, difficultatem loci animadvertit. Mihi paucis absolvere liceat. Navium omnium quantumlibet diversarum vel figura vel magnitudine hoc commune est, ut orbem plus minus ellipticum exhibeant, cujus alter axis et longior a prora ad puppim pertineat, alter et brevior, qui illum ad rectos angulos medium pervadit, uterum emetiatur. Ex ratione inter utrumque numerum intercedente summatim definita figura navigii. Jam nemo non videt, quo sit latior uterus comparatus cum longitudine, eo latiorem pro portione omnem navem a puppi ad proram excurrere, ac nullo modo fieri posse, ut sit angusta puppis et angusta prora pro se quaeque juxta latum uterum. Sane prodigiosa foret figura, si a lato utero hinc proram illinc puppim versus coarctarentur et coirent latera.

Quemnam igitur in modum interpretandus locus? Tolletur omnis difficultas, si vim observaris copulae „q u e“, qua nequaquam significatur, puppim angustam esse et proram angustam: potius hoc vult scriptor, spatium interjacens inter puppim et proram (sive majorem illum axem) angustum esse. Grammaticis de vi particulae „q u e“ disserentibus commendandus locus ut dignus memoratu.

Ibidem.

„transmittendum ad bellum opportuna".

Cave cum Gutmanno et Boettichero interpreteris: „um den Krieg hinüber zu spielen." Hoc enim tum dicimus, cum dux coeptum jam in aliquapiam terra bellum variis artibus in aliam terram sive regionem transfert. hoc autem loco insula Batavorum pacata est sedes apparandi belli. Contrahuntur illuc exercitus omnique apparatu ad bellum gerendum necessario instruuntur, ut mox navibus ad Amisiam flumen transvecti in hostili terra statim omni vi conflictari cum hoste possint. Est igitur idem, quod germanice: den zubereiteten fertigen Krieg in Feindesland tragen, um ihn dort unverweilt beginnen zu lassen.

Annal. 2, 8.

„Et eques quidem ac legiones prima aestuaria intrepidi transiere."

Locus ex illis unus, quos intuens jure mireris, quo tandem modo fieri potuerit, ut ne mentionem quidem difficultatis, ne dicam ulteriorem curam provocarint interpretum. Etenim nemodum, quod sciam, quid sibi vellet vocabulum „prima", verbo attigit. Drückius perinde interpretatur, ac si dixerit Tacitus: legiones primae; de codicis testimonio nil monet. Boetticherus et Gutmannus paucioribus rem absolvunt, in conversione sua epitheton illud prorsus omittentes. At in codice et est vocabulum „prima" et admittit sensum idoneum. Monendum primum, id quod ex tenore descriptionis facile intelligere possis, nec plus unum fluminis transitum indicari, nec plura aestuaria, quorum hoc primum postea inventis opponatur. Ac notio quidem vocis „aestuaria", quod nemo non videt ejusmodi est, ut possit plurali numero enuntiata unum aestuarium significare. Ex his jam patet vocis „prima" non alium nisi partitivum hoc loco usum esse, ut sit idem quod prima pars aestuarii. Verum quaenam pars prima dicatur et qua id ratione fiat pluribus explicandum. Aestuaria plerumque efficiuntur, ubi planities ad amnem aestui obnoxium adjacens ripam versus leniter descendit ac quasi paullatim transit in ipsum alveum amnis elatiore ripa carentis. Igitur revertens ex alto mari aquarum affluxus necessario ripas excedit et quo mollior assurgit ejusmodi planities, eo latius inundatio extenditur. Proximas autem ipsi alveo partes planitiei eadem de causa altissima inundatione mergi necesse est. In hoc interpretatio loci posita. Pontes *)

*) Possis vel pontes plures uno intelligere juxta junctos, vel unum, ut pluralis numerus pariter atque in vocabulo „æstuaria" rem ex multis partibus inter se atque universæ rei similibus constantem significet.

super navigiis vel ratibus structi impositi erant ipsi alveo amnis, non aestuario. Itaque properandum erat, ut antequam rursum accresceret unda, transgrederentur. Et equites quidem primi, deinde ipsae legiones, intrepidi omnes, hoc est, priusquam quidquam difficultatis vel periculi ex remeante aestu oriretur, transpositi, ut relictis pontibus per sicca etiamtum aestuaria proficiscerentur. At Batavorum ii, qui in extrema parte agminis incedebant, jam reverso et accrescente aestu cum desilirent de stratis, nando aestuarii primas partes superaturi, proxime finem pontis altiores opinato gurgites invenere eoque turbati et quidam hausti sunt.

Annal. 2, 23.

„*simul variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere etc.*"

Certi fluctus ii sunt, qui per ventum ex una eademque regione constanter flantem excitati eandem quoquoversus altitudinem tumoris, eandem cavationem habent; quasi quidam montium tractus inter se paralleli ejusdemque semper altitudinis et amplitudinis. Hos nautae quamvis tumidos minus extimescunt. At vero incerti fiunt fluctus, quando modo ex hac modo ex illa regione procellae impetu desaeviente tumor alter super alterum extollitur et paralleli illi ordines turbantur per alios ex obliquo injectos aut per repercussas ex adverso litore aliquopiam undas.

ibidem.

„*quibus paulum aegreque vitatis, postquam mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat,*"

Fluctus aquarum, ut physici docent, quadamtenus eidem legi obtemperant, cui fluctus sonorum et lucis radii, ut quem angulum efficiant incidentes, eundem rejecti. Itaque siqua navis procellae impetu in oram adversam rapitur, in adversum ea aestum prope litus incidit, quo facillime obrui possit; sin ad oram plus minus aversam sive oblique excurrentem in fluctus tum quidem defertur, plus minus in unum coëuntes cum fluctibus vento excitatis atque inde non modo exaggeratos sed etiam turbatos et incertos. In ejusmodi aestum naves Romanorum, paullum aegreque vitatis litoribus, quum jam oblique excurrentia praeterveherentur, incidere necesse erat. Paullatim iis mutabat aestus eodemque quo ventus ferebat. Proinde totum locum sic fere convertendum existimo:

Anfangs rauschte über ruhige Meeresfläche hin der Ruderschlag der tausend Schiffe oder blähte die Segel der Wind. Dann aber zog sich schwarzes Gewölke zusammen. Hagelgestöber aus ihm sich entladend und durch Windstöße, die bald da bald dorther

kamen, unordentlich gewordener Wellengang benahmen die Aussicht und verhinderten das Steuern. Der zagende mit den Unfällen der See unbekannte Soldat, während er die Schiffleute verwirrt oder unzeitige Hülfe leistet, stört den Dienst der Kundigen. Endlich gieng Himmel und Meer ganz in die Herrschaft des Südwinds über; und dieser durch die wassergesättigten Lande Germaniens und und seine tiefen Ströme zu endlosem Wolkenzuge sich verstärkend und je näher dem starren Norden desto schauriger, riß die Schiffe fort und warf sie hinaus — vereinzelt — in den offenen Ozean oder an Inseln, die durch schroffe Felswände oder verborgene Untiefen Verderben drohten. Knapp nur und mit Noth vermieden sie diese; jetzt aber (nachdem sie ihnen mit Noth ausgewichen waren) änderte sich für sie allmählig die Brandung und gieng in die Richtung des Windes ein; da wollte kein Anker halten, kein Ausschöpfen mehr zureichen u. s. w.

Annal. 3, 42.

„*adversis itineribus objecerant.*"

Video quosdam aut subobscure aut perperam interpretantes, dum ceteri silent. Res est ex situ locorum judicanda. Copiae seditiosae vel ab ipsa Augusta Trevirorum vel illa saltem ex regione Arduennae saltus petebant, in quos si pervenissent, arcem tum quidem adepti ipsa natura munitam aegre expelli potuissent. Quod ne fieret, ipsi quoque Romanorum ambo exercitus, ille superioris Germaniae, hic inferioris, quem non ab Ara Ubiorum, sive Colonia Agrippinensi *), ubi hiberna erant, sed ab aliqua regione inde Occidentem versus sita, hoc est, ex interiore Gallia, ut quae ad seditionem prona e propinquo custodienda erat, profectum esse putandum est, adverso alter in alterius agmen itinere, i. e. ille fere septentrionem versus, hic in meridiem directa via in eadem illa loca properabant, ut ante Arduennam, qua seditioso agmini introitus in eos saltus pateret, collocati unâ obsisterent hosti, praeoccupato in montes introitu.

Annal. 3, 43.

„*Augustodunum caput gentis armatis cohortibus Sacrovir occupaverat*"

Interpungendum est, sicut proposuimus; e quo facilis interpretatio: „Bei den Aeduern wurde die Sache ernstlicher; denn hier war mehr Wohlhabenheit,

*) Quum coloniæ Agrippinensis mentionem fecerimus, forte succurrit illud quamvis alienum ab hoc loco, quod gratulabundi huic urbi antiquitus acclamare solent: „Alaaf Cöln": quæ vox unde originem haberet, nuperrime in quaestionem venit. Mihi videtur provenisse ex usitata Romanis acclamatione: „Alma have Colonia!" Id quam laetis animis putamus a Romanorum exercitibus acclamatum esse urbi in regione pulcherrima ac felicissima tutam sedem praebenti, quando reversi ab expeditionibus periculosissimis, quales Germanici fuerunt (Annal. 1, 51. 62. 69.), Rhenum amnem et praesidia Romana rursum in aspectu haberent!

und die Truppenmacht, um zu dämpfen, entfernter. Augustodunum selbst, die Hauptstadt der Völkerschaft, hatte mit ordentlich bewaffneten Cohorten Sacrovir in seine Gewalt gebracht und mit ihr den Nachwuchs des vornehmsten Adels von Gallien, der den Studien oblag." Opponuntur consiliis et eventis Flori ea quæ Sacrovir effecit. Illius conatus brevi erant compressi; apud Aeduos major moles exorta. Illius incondita multitudo; hujus in potestate armatae cohortes et ipsum caput gentis inque ea nobilissima Galliarum suboles. Ille satis habebat saltus occupare, in quibus se defendere, quos obtinere posset. Sacrovir caput gentis occupavit, qua in sede regnaret. Hoc significanter expressurus scriptor nomen urbis primo loco ponit, ut sit perinde, ac si dixerit: ipsum adeo caput gentis, Augustodunum, . . . occupaverat. Si cum Walthero verba illa: „Augustodunum caput gentis" per interpunctionem separes, nimis disparatam et alienam prorsus ac hoc tenore habes sententiam, nec quae sequuntur quidem convenienter enuntiata. Debebat enim scriptor sic fere pergere: id oppidum armatis cohortibus Sacrovir occupaverat inque eo nob. Gall. sub et cet.

Annal. 3, 55.

„luxusque paulatim exolevere."

Gutmannus & Bötticherus mirum in modum a sensu scriptoris deerrant, quia vim restrictivam sententiæ non intellexerunt. Alii locum silentio prætereunt. Est autem haud dubie sic convertendus: Nachdem das Schreiben Cäsars vorgelesen war, wurde den Aedilen bedeutet, man wolle sie dieser Sorge entbunden haben; und so kam es, daß der Tafelluxus e r s t, n a c h d e m er von dem Kampfe bei Actium an bis zu dem, der dem Galba die Herrschaft gab, ein Jahrhundert hindurch mit der höchsten Verschwendung geübt worden war, allmählig sich verlor; d. h. daß er noch bis zu Galba fortwährte.

Ibidem.

„per nomen et clientelas illustrior habebatur."

Locus non dico a multis tentatus, sed qui multos tentarit. Novam, ni nescio quis prævertit, propono interpretationem: Je mehr einer durch Reichthümer, Palläste und Aufwand in die Augen fiel, desto geehrter war er b e i s e i n e m g a n z e n G e s c h l e c h t u n d d e n d a z u g e h ö r i g e n C l i e n t s c h a f t e n.